

8
101



05

10 Be.

U. q. 19, 3



IN VIKIIS

ANNO DOMINI

MDCCCLXXII

IN. ANDREAE DIN

IN PRAESENTIA

RECTORIS

UNIVERSITATIS

WITTENBERGENSIS

JOHANNES NACH WEDEN

IN PALATIUM

RECTORIS

UNIVERSITATIS


WITTENBERGENSIS

IN VIKIIS

ANNO DOMINI

MDCCCLXXII





4
Disputatio

DE PROCURATORIBUS.

QUAM,

DEO ter Opt. ter Max. benè iuvante:

AUTHORITATE ET CONSENSU
NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,
in florentissimâ Academiâ Tubin-
genfi:

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS

HARPPRECHTI, IC.

ET ANTECESSORIS IN EA-

DEM ACADEMIÂ ORDINARIÏ: PATRIS

in perpetuâ pietate, fide & obsequio co-
lendissimi:

*Publici exercitii gratiâ, discutiendam proponit, ad d. 26. April. in
Auditorio Iurisconsultorum, horis consuetis:*

CHRISTOPHORVS HARPP-
PRECHTUS, TUBINGENSIS.



TUBINGÆ,

Typis Joh. Alexandri Cellii,

ANNO M. DC. XVI.



*Nobili, Amplissimo, Consultissimoq̄
Viro:*

**DN. CHRISTOPHO-
RO BESOLDO, JC. ET ANTE-
CESSORI IN ACAD. TUBING. CELEBRA-
tissimo: Decano inclyti Ordinis Iuridici specta-
tissimo: Domino Præceptori ac Fautori suo
quovis honoris & amoris cultu
æviternum profe-
quendo:**

Hæc pauca Juris pronunciata:

I N

**Officiosissimi cultûs symbolum:
Debitæ gratitudinis monumentum:
Studiorum suorum testimonium:**

*Inscribit & consecrat, seq̄ suosq̄
reverenter commendat.*

Christophorus Harpprechtus, R.



Disputatio, DE PROCURATORIBUS.

PRONUNCIATUM I.



PROCURATOR (a) NON MALÈ DEFINI-
 nitur, qui rem alienam (b) mandatu domini
 in iudicio agit, aut defendit. (c)

a) Scilicet judicialis, de quo *συμ δεω* disputatu-
 ri sumus, non extra judicialis, de quo *tit. ff. & C. man-*
dati. Qui enim negocia administrat, plerunq; man-
 datarius dicitur; qui verò lites sive iudicia, procu-
 rator appellatur. *l. salarium. 7. & l. seq. ff. mandati. l. cum per procurato-*
rem. 9. Cod. eod. quamvis non rarò idem nomen etiam mandatario tri-
 buatur. Uterque siquidem procurat. *l. 2. in princ. l. servum. 33. §. 1. ff. h. tit.*
l. si remunerandi. 6. §. apud. 6. ff. mandat. (b) Nam in propriis negotiis
 nemo sibi ipsi est procurator. *l. 1. licet. 42. §. is, cui. 3. ff. h. tit.* Etenim ut
 sua res nemini servire dicitur. *l. in re. 26. ff. de servit. urban. præd. l. uti frui. 5.*
in pr. ff. si ususfr. petet. ita contrà nec quenquam rerum suarum procura-
 torem aut servum perhibemus. (c) *l. 1. in princ. ff. hoc tit. l. si quis. 3. §.*
procuratorem. 2. ff. judicat. solvi. Nobilis & Amplissimus Vir, Dn. D. Bocerus,
Præceptor meus venerandus Class. 6. Disput. 6. Thes. 1. edit. 2. Cujus usus est
 perquàm necessarius: ut, qui rebus suis ipsi superesse vel non possunt,
 vel nolunt, per alios possint vel agere, vel conveniri. *l. 1. §. usus autem. 2.*
ff. hoc tit. in tit. Inst. De iis, per quos agere possunt. Diligenter autem distin-
 guendos esse procuratores, defensores, cognitores, & Syndicos pu-
 tamus. Namq; procurator propriè est actoris, & quidem absentis: de-
 fensor verò rei, qui plerunq; citra expressum mandatum ad defenden-
 dum

dum reum venit. Id enim est, quod Ulpianus dicit; absentes à quibuslibet defendi posse, idq; ita fieri, publicè utile esse *d.l. servum. 33. §. publicè utile est. 2. ff. h. tit.* Cognitor olim dicebatur presentis: sed jure Justin. nulla fit mentio cognitoris, teste Giphano ad princ. tit. *Inst. de iis, per quos agere possum.* Syndicus propriè dicitur, qui non, ut procurator, singulorum est; sed vel Collegii, vel Civitatis, &c. de quo est tit. *ff. quod cujusque universit. nomine, &c.* Prædictos tamè omnes verbo procuratoris generaliter & communiter sumpto comprehendi statuimus: cum & Syndici & Defensores dicantur procuratores. *l. sed & hæ. 35. §. defendere. 3. ff. hoc tit. l. 1. §. tutores. 13. ff. quando appelland. sit. Dn. Præses, ac Pater pl. honorandus ad §. procurator. 1. Instit. de iis, per quos agere possumus. num. 7. & 8.*

I I.

Dare & constituere procuratorem possunt omnes, qui non prohibentur. (a) Prohibentur autem alii naturâ, alii lege. Naturâ; infans, furiosus, mente captus, prodigus, (b) mutus & surdus simul naturâ: (c) Lege, servi; (d) item qui rerum suarum liberam administrationem non habent, putà pupillus & minor 25. annis, absque tutoris & curatoris autoritate ac consensu. (e)

a) *arg. l. mutus. 43. §. 1. ff. hoc tit. l. cum Prætor. 12. ff. de judic.* (b) *l. 1. §. furiosum. 12. cum §. seq. ff. de obligat. & act. l. in negociis. 5. l. furiosi. 40. & ubiq; Dd. ff. de R. I.* (c) *arg. l. mutus. 43. in princ. ff. hoc tit. & ibi in Rational. Ant. Fab.* Ejusque ratio est perspicua: quia nullo modo animi sui sensa exprimere potest: sicque in illo operatio intellectus deficit, abcente D. Obrecht, *Disp. 10. cap. 2. proposit. 14.* (d) *l. servum. 33. in princ. ff. h. tit. l. quod attinet. 32. ff. de R. I.* Planè si de statu suo litigèt, procuratorem rectè constituunt, non quidem in ipsa statûs controversia. *l. 1. C. de assert. tollend.* sed in reliquis actionibus, quæ eis, aut contra eos competunt. *d. l. servum. 33. §. 1. ff. d. tit.* (e) *l. neq; tutores. 11. C. h. tit. l. decreto. 24. ff. de administrat. & peric. tutor.* Pupillus n. sine tutoris autoritate se alii obligare nequit, per princ. *Inst. de authorit. tutor.* Quod etiam affirmandum de minore, curatorem habente. *d. l. neq; tutores. 11. C. h. tit.* cum res suas neque administrare, neque se sine consensu curatoris obligare alii possit, *l. si curatorem. 3. C. de in integr. restitut. minor. 25. annis.* Vide nobilissimum IC. Dominum Besoldum, *Præceptorem & Patronum meum devotè colendum Class. 1. Collegii Politici, Disputat. 6. Corollar. 4. & 5.*

3. Quid

I I I.

Quid verò statuendum de minore, curatorem non habente: nunquid ad litem procuratorem dare poterit? Negantibus nostrum calculum adjicimus.

Ratio est clara: quia expeditissimi juris est, omnem minorem, & sic etiam illum, qui curatore destitutus est, legitimam in judicio standi personam non habere. *tot. t. C. qui legit. person. stand. in judic. hab. §. item inviti. 2. Inst. de curat. l. si praeses. 6. vers. quicquid eo tempore, & c. C. quomodo & quando judex sentent. proferre deb.* Absurdum igitur esset, si diceremus, minorem curatore destitutum, ipsum suæ liti non posse præesse; posse tamen ei procuratorem præficere: cum nemo possit alteri potestatem concedere, quam ipse non habet. *l. observare. 4. §. fin. ff. de offic. proconsul. l. traditio. 20. ff. de acquir. rer. dom. l. nemo plus. 54. ff. de R. I. c. nemo potest. 79. eod. tit. in 6. Dn. Praeses ac Pater colendus in §. 1. Inst. de iis, per quos agere possumus. num. 13. & seqq.*

I V.

Quæri item solet de excommunicato: num & is procuratorem ad litem constituere valeat? Et cum neque per se, neque per procuratorem in judicio agere posse; (a) tametsi ab alio in judicio conveniri, & respondere per procuratorem queat, verisimilius est. (b)

a) Propterea, quòd is cum aliis nullam communionem habeat; nullum actum legitimum exercere possit, & sic quasi mortuus habeatur. Quæ ratio tanti est, ut inde concludere liceat, nec ipsum procuratorem dare posse. *c. ult. ext. de procurat. c. exceptionem. 12. extr. de except.* (b) ne videlicet commodum & lucrum de sua malitiâ & improbitate reportare videatur. *c. intelleximus. 7. extr. de judic.* Ex quo c intelligere & colligere possumus: quòd excommunicatus, si actione quadam conveniatur, ipsemet in judicio comparere, seque defendere ne utique valeat: sed procuratorem constituere, & per hunc respondere omninò teneatur. At quid dicendum de proscripso seu bannito banno Imperiali? Et, cum propriam causam in judicio per se defendere posse, sicque non necesse habere, ut procuratorem constituat, intrepidè asseveramus. Defensio namque, etiam judicialis, juris naturalis est. *Clement. pastoralis. §. ceterum defectus. de sentent. & rejudicat.* Proindeque ipso banno, quod juris civilis est, non perimitur: cum jura ci-

vilia non possint tollere sive corrumpere naturalia. §. ult. in fin. Inst. de legit. agnat. tut.

V.

Procurator ad litem constitutus, ante litis contestationem sui loco procuratorem constituere nequit.

Etenim cum procurator ante litem contestatam non efficiatur dominus litis, utpote nondum cœptæ; alium ad eandem litem substituere haudquaquam poterit. *l. si procuratorem. 8. §. si quis mandaverit. 3. ff. mandati. l. quod quis. 8. l. neq. tutores. 1. l. procuratoribus. 22. & l. seq. C. de procurator.* Quod tamen primò non procedit in eo procuratore, cui specialis potestas concessa est alium substituendi. *cap. 1. §. 1. de procurat. in 6.* Deinde limitatur hæc sententia, quando procurator in rem suam est constitutus, qui pariter ante litis contestationem alium procuratorem constituere potest: eò quòd is, effectu considerato, non alienam, sed propriam causam administrare existimetur. *d. cap. 1. §. 1. l. qui stipendia. 9. C. eod. l. illam. 33. C. de donat.* Quocirca iste improprie procurator dicitur: quippe cui non competat definitio procuratoris, *tradita in l. 1. ff. hoc tit. & supra pronunciat. 1.*

V I.

Cognitis his, qui procuratores ad litem constituere possunt, vel non: videamus nunc de illis, qui constitui seu dari vetantur. Vetantur autem infans, furiosus, mente captus; (a) mutus & surdus. (b)

a) Ratio est plana: Tum quia, quod agitur, non intelligunt. §. *mutum. 8. cum seq. Inst. de inutilib. stipulat.* Tum quia nullum negotium gerere possunt. *l. in negotiis. 5. ff. de reg. jur. cum mente careant, & rectâ ratione non utantur. §. præterea. 2. Instit. quib. non est permiss. fac. testam.* (b) *l. mutus. 43. in princ. ff. h. tit.* ex qua constat, mutum & surdum in quibus est rationis perspicacia, extra iudicium procuratores dari posse ad administrandum: in iudicio verò non admitti. Ratio est: quia iudicium in plurimis articulis apertam aurem, & expeditam linguam requirit. *l. 1. §. initium. 3. vers. propter casum, & c. ff. de postulando.*

V I I.

Similiter procuratores constitui prohibentur prodigus, cui bonis interdictum est, (a) & pupillus. (b) At quid de
mino-

minore 25. annis pronunciandum? Et hunc jure Justinianéo procuratorem ad litem dari posse, omninò censemus. (c)

a) Nam prodigus furioso æquiparatur. *l. is, cui. 6. ff. de verb. obligat.* Furioso autem planè procuratione interdictum est: præsertim cum ut furiosi, ita & prodigi nullam voluntatem esse jus doceat. *l. furiosi. 40. ff. de R. I.* (b) Ratio est expedita: quia nullum animi judicium possidet. §. *præterea. 2. Instit. quib. non est perm. fac. testam.* (c) dummodò is 17. annum cõpleverit, & decimum octavum attigerit, per expressum textum in §. *juste. 5. Inst. quib. ex caus. manumittere non lic.* ubi dicitur, domino minori 25. annis permitti manumittere servum suum procuratoris habendi gratiã; si modò servus ille decimum septimum ætatis annum compleverit, & decimum octavum attigerit, *juxta l. si collectaneus. 13. ff. de manumiss. vindic.* Sanè jure Canonico, quod usu hac in parte observatur, minorem 25. annis ad litem procuratorem non admitti, elucet ex *c. qui generaliter. 5. §. ult. de procuratorib. in 6.*

VIII.

Ad litem insuper procuratores constitui nequeunt, servus, (a) & deportatus. (b)

a) *l. servum. 37. in fin. prin. junct. §. 1. ff. h. tit. l. servus. 6. C. de judic.* Ratio hæc reddi solet: tum quia personam in judicio legitimam standi non habet, *arg. t. t. C. qui legit. pers. standi in judic. hab.* tum quia procuratorem esse, officium censetur civile. *l. fœmina. 2. ff. de R. I.* Servi autem juris civilis cõmunionem non habent. *l. qui testamento. 20. §. servus. 7. ff. qui testam. fac. poss. imò jure civili pro nullis habentur. l. quod attinet. 32. ff. de R. jur.* (b) Neque enim is juris civilis cõmunionem habet. §. *maxima. 1. Inst. de capit. deminut.* imò pro mortuo habetur. *l. 1. §. filiũ habui. 8. ff. de bonor. possess. cont. tab. ut propterea nec procurare possit. d. l. fœmina. 2. ff. de R. I.*

IX.

Fœminæ quoque, (a) itemque milites (b) constitui procuratores vetantur.

a) *l. neq. fœmina. 54. ff. h. tit. l. fœmina. 2. ff. de R. I. l. alienam. 18. C. h. tit.* Sunt tamen quidam casus, quibus fœminæ in judiciis procurare non prohibentur, quos videre licet apud Dominum Præfidem, ac Parentem colèdissimum in §. *procurator. 1. Inst. de iis, per quos agere possum. n. 97. cum multis seqq.* (b) *l. filiusfamilias. 8. §. veterani. 2. l. neq. 54. ff. h. t. l. militẽ. 7. l. qui stipendia. 9. l. ita demũ. 13. C. eod. l. si militem. 5. C. de condict. ob caus. dat.*

Am

An idem juris obtineat in nostri temporis militibus, dubitatur? Affirmativæ sententiæ nostrum votum adjicimus. Quia ratio prohibitionis in nostratibus militibus æquè, ac in priscis illis, militat: siquidem & nostri seculi milites alienarum litium procuratori sese non immiscere conveniat, quò militarib. negociis intentiùs incumbere, Remque publicam alacriùs propugnare atq; defendere queant. *l. milites. 31. C. de locato & conduct.*

X.

Præterea repelluntur ab officio procuratoris potentiores. (a) Inter quos rectè numerantur Fiscus & Respublica. (b) Non item causæ alicujus defensionem suscipere potest reus criminis, antequam purget innocentiam suam: (c) criminis, inquam, capitalis. Aliud enim in reo criminis non capitalis dicendum arbitramur. (d)

a) *l. 1. & t. t. C. ne lic. potentiorib. patrocini. litigantib. præstar. & c.* Et ratio haud est obscura: ne scilicet tenuior Adversarius Potentiorum Patrociniis vel opprimatur, vel terrore ei injiciatur quò minus causam suam liberè persequatur. Ideò si quis cum æquè potente Adversario litiget: potentioris quoque procuratoris auxilio contra potentem adversarium uti ei licitum atque permissum est. Quia non terrore injiciendi causa, sed magis metus excludendi & repellendi gratiâ procurator ille constitutus esse censetur, arg. *l. cum pater. 77. §. Titio. 31. in fin. ff. de legat. 2. l. non solùm. 67. §. 1. ibi, quia par affectionis causa suspicionem fraudis amovet. ff. de rit. nupt.* (b) *l. abhorret. 3. & t. t. C. ne fisc. & Respubl. procuracionem, & c.* (c) per *l. reum. 6. C. h. tit.* (d) arg. *l. 1. §. removet. 6. ff. de postulan. l. si qui reus. 5. §. 1. ff. de publ. judic.*

X I.

Adhæc prohibentur procuratores esse, Magistratum gerens: (a) qui Reipubl. causa abfuturus est, aut morbo perpetuo laborat: (b) nec non redemptores alienarum litium; hoc est, illi, qui ad procuracionem litium hoc pacto accedunt, ut, finitâ lite, sibi pars quædam præstetur. (c)

a) Quamdiu enim in magistratu est, judicium pati non cogitur, *l. pars. 48. ff. de judic. l. neque. 54. ff. h. tit.* (b) *d. l. neque. 54. ff. eod.* Quia hi se cum experiundi potestatem adversario semper facere haud possunt. *Donell. lib. 18. Com. jur. civ. c. 11. pag. 187.* (c) *l. litem. 15. C. h. tit. l. sumptus. 53. ff. de*

de pact. l. si remunerandi. 6. §. ult. & l. seq. ff. mandati. l. si contra. 20. C. eod. l. si qui
advocatorum. 5. C. de postulando. Quod vulgò pactum de quotalitis ap-
pellitant gloss. & Dd. in d. l. sumptus. 53. ff. de pact. & d. l. litem. 15. C. h. tit.

X I I.

Succedunt causæ & lites, in quibus procurator admitti,
vel non, potest. Omnes autem civiles & pecuniariæ causæ re-
gulariter tam ad agendum, quàm ad defendendum, ab utraq;
parte litigantium procuratores recipiunt.

*l. cum rem pecuniariam. 2. l. in pecuniariis. 26. C. de procurat. l. 1. ff. an per
alium caus. appellat. red. poss.* Excipiuntur causæ populares, quatenus de
privato actoris damno nō agitur. Tunc enim qui agit, procuratorem
constituere non potest; qui convenitur, semper potest; siquidem cō-
demnatus de suo dependere cogatur. *l. licet. 42. ff. h. tit. l. mutus. 43. §. 1. ff.
eod. l. q. populari. 5. ff. de popularib. actionib.* In interdicto de liberis exhibē-
dis, ducendis vè, procurator non admittitur ex parte agentis; nō quòd
actio criminalis sit, sed quia personalis: nisi causa cognitā, atque his
duabus conditionibus: si & nominatim procuratori mandatum sit;
& pater valetudine, vel aliā justā causā impediatur. *l. Pomponius. 40. in
pr. ff. h. tit. Wesenbec. in suis Paratitl. ff. eod. num. 5. in fin.*

X I I I.

Ast in causis criminalibus capitalibus, vel ex quibus sequi
solet pœna usque ad relegationem, pro regulā tenendum est;
procuratorem neque ad accusandum, (a) neque ad defenden-
dum intervenire posse. (b) Cæterum si causa criminalis qui-
dem fuerit, sed non capitalis, verùm pecuniaria, ex qua reus in-
famis reddatur: pro eo procurator admittitur. (c)

a) *l. accusator. 13. §. ad crimen. ff. de publicis judic. c. veniens. 15. extr. de
accusat.* Ratio est: quia accusator inscriptionis vinculum arripere, &
se ad pœnam talionis adstringere tenetur, ut merito ipsum præsentem
oporteat præsentialiter accusare. *c. tua. 5. extr. de procurat. l. tunc conve-
nit. 15. C. de accusat.* ne impunita sit mentiendi & calumniandi licentia.
l. ult. C. de accusat. (b) Quia si per procuratorem defendere se reo per-
mitteretur; nunquam ipse, cōscientiā admissi sceleris territus, in judi-
cio compareret: sed quasvis latebras & effugia quæreret, ut pœnam
delicto dignam evitaret: quod exemplo perniciosum foret. *l. bona si-
des. 31. in fine pr. ff. depositi. l. ita vulneratus. 51. §. 2. ff. ad l. Aquil.* (c) per l. 1. ff.

an per al. caus. appellat. red. poss. Vide Dominum Praesidem, Parentem unice honorandum, Disputat. 22. part. 2. Thes. 21. lit. b. ubi pluribus rationibus & fundamentis hanc sententiam confirmat.

X I V.

Quod ad modum constituendi procuratoris attinet: constituitur ille consensu & mandato, tum expresso, (a) tum tacito. (b)

a) Veluti per pactum, scripturam aut nuncium, arg. l. 1. in pr. & §. fin. ff. h. tit. l. 1. ff. mandati. (b) Ut cum dominus praesens, aut etiam absens, sciens tamen, & intelligens patitur causam suam ab alio agi, l. si remunerandi. 6. §. si passus. 3. l. qui patitur. 18. l. qui fide. 53. ff. mand. ti. l. si fidejussor. 6. C. eod. l. semper qui non prohibet. 60. ff. de R. l. Vel quoties procurator datus, mandati jussu vel literas recipit, neq; contradicit. l. si procuratorem. 65. ff. h. tit. Clementin. 1. eod. Quod tamen procedit, si scienter literas mandati rejiciat: secus, si ignoranter: quia ignorans sive errans non consentit. l. si per errorem. 15. ff. de jurisdic. Vel cum instrumenta causae principalis, h. e. quibus causa instrui ac probari potest, traduntur, arg. l. si mulier. 11. C. de pact. convent. Wesenbec. in Parat. ff. n. 6. hoc tit.

X V.

Sed & praefici potest procurator vel generaliter ad omnia negotia expedienda, quae ad dominum spectant; vel specialiter ad certam causam; item vel simpliciter, vel cum clausula, cum libera, hoc est, adjecta potestate libera pro domino agendi, faciendi, administrandi ea omnia, quaecunque in causa dominus ipse agere, facere coram posset.

l. procurator, cui. 58. l. mandato. 60. l. procurator totorum. 63. ff. h. tit. l. si procurator. 10. C. eod. l. creditor. 60. §. Lucius. 4. ff. mandat. l. illud. 25. §. fin. ff. de minorib. l. quae a ratione. 9. §. nihil autem interest. 4. ff. de acquir. rer. dom. §. quae a ratione. 45. Instit. de rer. divis. c. qui ad agendum. 4. & c. seq. de procurat. in 6. Hinc difficilima, & à Juris Interpp. diu multumq; agitata oritur quaestio: An procurator, cui plena administratio concessa est, cum libera constitutus esse censeatur? Nos affirmantium sententiam, tanquam juri magis consonam sequi non erubescimus, per expressum textum in d. l. creditor. 60. §. Lucius. 4. ff. mandati. ubi procuratori solennibus quibusdam verbis, ibidem commemoratis, potestas libera tributa est, quae in eodem postea textu plenum mandatum appellatur, vers. plenè quidem,

dem, &c. sicque patet, plenum mandatum à mandato cum liberâ nihil differre, & per consequens, plenâ administratione procuratori concessâ, liberam ei potestatem concessam intelligi. Dominus Præses & Pater perpetuò observandus ad §. procurator. Inst. de iis, per quos agere possum. num. 208. cum seqq.

X V I.

Non prætereunda est hoc loco & illa anceps quæstio: Num procurator generaliter ad omnia negocia datus cum clausulâ illâ (*quòd Dominus ratum habebit, quicquid ab eo gestum fuerit*) cum liberâ intelligatur constitutus? Quod ut negemus, haud levi ratione movemur.

Quia procurator simpliciter absq; prædictâ clausulâ ad omnia negocia datus, liberâ accepisse potestatem non censetur. l. mandato. 60. & l. procurator totorum. 63. ff. h. tit. ubi dicitur, procuratorem generaliter ad negocia datum, alienandi potestatem non habere. Unde patet, quòd is cum liberâ non sit constitutus: aliâs siquidem alienandi potestatem haberet. §. qua ratione si cui libera. 43. Inst. de rer. divis. l. procurator, cui. 58. ff. h. t. Cùm ergo procurator ad negocia generaliter deputatus, liberam potestatem à domino accepisse non intelligatur: idem utique erit judicandum de illo procuratore, qui cum prædictâ clausulâ generaliter ad omnia negocia datus est. Nam expressio illius, quod tacitè inest, non auget vim dispositionis, nihilque omninò operatur. l. hac verba. 3. ibique Zas. & Alciat. ff. de legat. 1. Licet autem is, cui libera omnium rerum administratio cõcessa est, vendere sive alienare & tradere rem domini possit. d. §. qua ratione, si cui libera. 43. Inst. de rer. divis. l. qua ratione. 9. §. nihil autem interest. 4. ff. de acquir. rer. dom. attamen donatio vel dilapidatio & delictum sub mādato cum liberâ, sive quantumcunque generali, non continentur. l. contra juris. 28. §. ult. ff. de pact. l. filiusfam. 7. in princ. ff. de donat. l. si pater. 12. ff. que in fraud. credit. l. si procurator. 6. & ibi Bartol. Iason, & alii. ff. de condict. indebiti.

X V I I.

Constituitur insuper procurator ad litem vel in ipso iudicio, (a) vel extra iudicium. (b)

a) In iudicio quidem ex parte agentis, si dominus mandatum actis insinuet, hoc est, literas mandati offerat iudici, aut mittat, & ad acta redigi curet: aut si ipse coràm iudice procuratorem eligat, ejus-

B 2

que

que personam confirmet, & seratum habiturum, quicquid ille gesserit, promittat ac caveat. §. *sin autem. 4. Inst. de satisfdat. l. si procuratorem. 65. ff. h. tit.* (b) Extra iudicium constituitur procurator ab actore, aut coram Notario & testibus: aut si copiam Notarii habere nequeat, literis privato, vel (quod firmitus est, & utilius) publico sigillo consignatis. *d. l. si procuratorem. 65. ff. d. tit. Jurist. Würtemberg. Erneuert Landtr. part. 1. tit. 16. §. Da aber jemandts / r. pag. 81.* Et hoc casu, quando sic de mandato constat, non compellitur procurator cavere, rem ratam dominum habiturum. Ubi enim mandatum certum est, rati habitio nunquam requiritur. *l. 1. C. h. tit. l. unic. C. de satisfdando.* Sin autem probabiliter dubitetur, utrum quis mandatum habeat, an non: hoc casu cum cautione *de rato* admittitur. §. *sin autē. 4. Inst. de satisfdat. l. si is. 3. §. si procurator. 2. ff. ut in poss. legat.* ut si proferat in iudicio mandatum aliqua ex parte mutilum, aut insufficiens, aut si mandatum doceat per unum testem. Cæterum, si omninò nullum possit exhibere mandatum: tunc ne offerens quidem cautionem *de rato*, invito adversario, recipitur; nisi pro conjunctâ personâ. *l. sed & ha. 35. in pr. ff. h. tit. l. exigendi. 12. l. maritus. 21. C. eod. l. si cum dotem. 22 §. si pater. 3. §. si soluto. 10. ff. solut. matrim.* Porro procurator rei eodem modo, aut in iudicio, aut extra iudicium constituitur: sed indistinctè adhibitâ satisfactione *judicatum solvi*, etiam si mandatum idoneum habeat: nisi ipse principalis hanc satisfactionem præstiterit. *l. unic. C. de satisfdando.* Unde regula orta est: Neminem in re alienâ idoneum intelligi defensorem, qui non satisfdet de iudicato solvendo. §. *si verò. 2. & §. si verò reus. 6. l. de satisfdat. l. in eo, quod plus. 110. §. 1. ff. de R. l. l. qui proprio. 46. §. 2. l. minor. 51. §. ult. & 2. ll. seqq. ff. h. tit.*

X V I I.

Formam porro mandati procuratorii quantum concernit: continere illud debet imprimis nomen & cognomen tantum domini constituentis, quàm procuratoris constituti; nec non adversarii, contra quem, & iudicis, coram quo, vel apud quem; item designationem causæ, de qua in iudicio agitur; tum etiam expressi onem actuum, ad quos procurator eligitur.

l. si procuratorem. 65. ff. h. tit. c. accedens. 10. & c. constitutis. 12. extr. eod. Wesenb. in Parat. ff. h. tit. n. 7. Nobilis & Clariss. D. D. Bocer. Præcept. meus sufficiens Class. 6. Disput. 6. Thes. 55. & seq. edit. 2. Quoniam a, nonnulla sunt, quæ speciale mandatum desiderant, nec generali clausulâ continentur.

c. qui

c. qui ad agendum. 4. & c. seq. de procurat. in 6. ideò qui plenum liberumq; daturus est mandatum, horum aliqua ut in instrumento exprimat, necesse habet (veluti, concedo potestatem jurisjurandi deferendi, transigendi, &c. ac postea subjiciat generalem clausulam: Et omnia reliqua agendi, quæ ipse dominus præsens agere facere posset, rind alles anders vermög rechtlicher Ordnung zuhandlen / zuthun / vnd fürzunehmen / daß der Principal selbst / so er jederzeit gegenwertig were / thun solt / köndte / vder möchte. Hac namque clausulâ ita mandato adjectâ, censentur procuratori etiam ea permessa, quæ speciale mandatum exigunt. Bartol. in l. procurator, cui generaliter. 58. ff. hoc tit. Emeric. à Rosbach. in process. judic. tit. 20. num. 21.

X I X.

De illo non inconvenienter hoc loci quæri poterit: An procurator, qui simpliciter ad agendum est constitutus, possit absque speciali mandato debitorem quendam arrestare? Nos negantium sententiam defendere conabimur.

Ratio ejus haud obscura hæc reddi potest: Quia in causis, quæ sunt gravis præjudicii; & in quibus de famâ, honore ac existimatione alterius agitur, procurator absque speciali mandato non admittitur. *l. non solum. 39. in fin. ff. h. tit.* Arrestationem autem esse gravis præjudicii, & conjunctam cum dedecore & ignominia arrestati, ex eo apparet, quòd non multum à specie servientium differant, quibus facultas non datur recedendi, *arg. l. 1. & 2. ff. de liber. hom. exhib. Latè Dn. Præses, & Pater longè charissimus ad §. procurator. 1. l. de iis, per quos ager. poss. n. 242. & seqq.*

X X.

Hæc de procuratoris constitutione dicta sufficiant. Nunc breviter, quibus modis isthæc constitutio expiret & finiatur, differendum putamus. Finitur autem primùm morte, tum domini constituentis sive mandantis, tum procuratoris, re adhuc integrâ: (a) deinde revocatione mandati. (b)

a) *§. item si adhuc. 10. Inst. de mandat. l. inter causas. 26. in pr. & l. seq. ff. mandati. l. & quia. 6. ff. de jurisdic. l. ult. ff. de solut. c. licet. 30. ext. de offic. delegat.* Et quidem quoad procuratorem, certum est ipsius morte indistinctè finiri officium ejus, sive ante, sive post litem contestatam interveniat. Quod enim certæ personæ cohæret, id etiam cum personâ extingui necessum est. In domino cõstituente, sive mandante distinguendum est.

B 3

Aut

Aut enim is moritur ante litem contestatam: & mandatum revocatum censetur: nisi jam antea, consentiente procuratore, de iudicio solvendo satisfecerit. *l. si defunctus. 5. ff. h. tit.* Aut post litem contestatam moritur: & tunc mandatum neququam revocatur: sicque procurator, cum litis dominus factus esse censeatur, novo heredum mandato opus non habet. *l. nulla dubitatio. 23. C. h. tit.* Verum hodie obtinuit, ut heredes defuncti domini ad iudicium citari soleant, ad reassumendam litem. *Gail. lib. 1. obs. 109. n. 6. & seq. (b)* si nimirum dominus re adhuc integra, id est, ante satisfactionem praestitam, & ante litem contestatam, removeat aut mutet procuratorem. *l. ante litem. 16. ff. h. tit. l. si pater. 3. C. mandati. c. 2. h. tit. in 6.* Post litem vero contestatam non licet revocare mandatum, nisi ob justas causas. *l. post litem. 17. ff. h. tit.* puta, si postea procurator fiat suspectus, aut metus subsit, ne deinceps non agat ex bona fide. *l. item si suspectus. 19. ff. h. tit.* Suspectus autem redditur, quando affinitates aut amicitias cum adversario inicit. *l. vel exilio. 21. cum l. seq. ff. h. tit.* vel si impediatur re aliquâ necessariâ, quò minus negociis rectè praesse possit. Ut si ætate senili, si valetudine aut absentia longiori, si munere publico, aut etiam privatis negotiis occupetur. *d. l. post litem. 17. cum ll. seqq. ff. hoc tit.* Vide *Wesenbec. in suis Paratitl. ff. hoc tit. num. 11. ubi plures causas, ob quas mandatum potest revocari, adfert.*

X X I.

Finitur item procuratoris constitutio renunciatione: si videlicet procurator tempestivè, hoc est, iudicio nondum preparato (ut si dominus pro constituto procuratore nondum iudicatum solvi caverit) domino nunciet, se susceptum officium explere non posse. Quòd si dominus pro suo procuratore consentiente iudicatum solvi exposuerit: non nisi justas legitimasque ob causas (a) procurator renunciare poterit. (b)

a) De quibus in *l. filiusfamilias. 8. §. fin. & multis ll. seqq. ff. h. tit. l. sanè. 23. & ll. seqq. ff. mandati.* (b) *§. mandatum non suscipere. 11. Inst. de mandato. l. si mandaverit. 22. §. fin. l. si quis. 27. §. qui mandatum. 2. ff. mandati. Excellentiss. D. D. Bocser. Class. 6. Disput. 6. Thes. 68. & seq. edit. 2.*

X X I I.

Denique intercidit mandatum finito negotio seu causa, propter quam susceptum fuit. (a) Sed elegantis perplexæque est quæstionis: utrum procurator ad certam litem datus, ut
latâ

latâ contra ipsum vel dominum sententiâ, appellare cogitur, vel impeditus dominum, ut ipsemet provocet, monere: (b) ita quoque interpositam appellationem prosequi teneatur? Affirmativam ex jure civili non incommode defendi posse sententiam, remur. (c)

a) *l. invitus. 17. & l. maritus. 21. vers. sin autem. C. h. tit.* (b) *d. l. invitus. 17. C. eod. c. penult. ext. eod. tit.* Idque adeò verum putatur, ut si negligenter appellare distulerit, reus sit exsolvendi interesse, quod ob omissam appellationem emergerit. *Damboud. in prax. civil. cap. 229. num. 9.* (c) *arg. l. si procuratorem. 8. §. quod & ad actionem. 8. vers. igitur. ff. mandati. d. l. invitus. 17. C. hoc tit. & l. 2. ff. an per alium causa appellat. reddi poss. Donell. lib. 18. Cōment. de jure civ. c. 16. pag. 235. cum seq. Bronchorst. cent. 1. Miscellan. juris controvers. assert. 25. Vasq. lib. 5. illustr. controvers. q. 19. nu. 2. Illico Vmnius Disput. 3. ad process. judic. Thes. 7. sub num. 39. & noviter Hunnius Disput. 18. ad Instir. Thes. 15. Dissentiunt Dd. communiter; ut, post Emanuelem Soarez in Thesaur. recept. sent. lit. P. num. 301. haud obscure testatur summus J. C. D. Besoldus, Præceptor & Fautor meus reverenter habendus in egregio Discursu Juridico-Politico, de appellationib. cap. 5. num. 7. pag. 170. edit. 2. Verum enimverò si procurator inter agendum deprehenderit: dominum malam fovere causam, & rectè adversus eum judicatum esse: appellare minimè tenebitur, *arg. l. si fidejussor. 29. §. quædam. ff. mandati. & l. quotiens. 9. §. nec utique. 6. ff. de administrat. & peric. tutor.**

X X I I I.

Reliquum esse videtur, ut paucis de actione mandati, quæ inter dominum, ejusque procuratorem oritur, videamus. Est autem mandati actio alia directa, quam dominus in procuratorem variis ex causis intentare potest: (a) alia contraria, quæ procuratori adversus dominum datur. (b)

a) Ut, si procurator susceptum negotium exequi nolit. *l. filiusfamilias. 8. §. ult. ff. hoc tit.* si in officio aliquid detrimenti, per dolum, aut culpam levem, imò etiam levissimam, domino intulerit. *l. si quis. 38. §. si quis. 8. ff. de pœnis. l. procuratorem. 11. l. à procuratore. 13. & l. in re mandata. 21. C. mandati. l. contractus. 23. ff. de reg. jur. Clariss. D. D. Besold. Præceptor meus etatè observandiss. Class. 1. Collegii Politici, Disputat. 9. Coroll. 1. si per collusionem aut injuriam, adversarium absolvi passus sit. *l. si procuratorem. 8. §. sed etsi. 1. ff. mandati. d. l. si quis. 38. §. si quis instrumentum. 8. ff. de**

14 *Disputatio de Procuratoribus.*

ff. de pœn. item ut rationem omnium, quæ ex mandato & gestu consecutus est, sive justè consecutus sit, sive injustè, reddat. *l. qui proprio. 46. §. procurator. 4 ff. hoc titul.* quæ sitasque actiones cedat. *l. si procuratorem. 8. §. ult. ff. mandati.* (b) Ut, si quid in utilitatem domini ex mandato impendit, consequatur. *l. si quis. 31. d. l. qui proprio. 46. §. litis 6. ff. hoc tit. l. si quis. 27. §. impendia. & l. qui mutuam. 56. §. fin. ff. mandati.* Æquitatis enim ratio suadet, impendia restitui: si quidem bonâ fide expendit. Nam si quid profusè & non necessariò consumpsit, vel à iudice propter delictum mulctatus est: ejus sumptus in hoc contrario iudicio non habetur ratio. *dict. l. qui proprio. 46. §. procurator. 4. ff. hoc tit.* Si quid verò extra mandatum à procuratore impensum fuerit in utilitatem domini, quod etiam ipse dominus verisimiliter impensurus fuisset: id non quidem mandati (quia ejus rei mandatum non habuit) sed negotiorum gestorum actione repetere potest: cum æquum sit, nusquam illi officium suum esse damnosum. *d. l. si quis. 31. ff. hoc tit. l. si verò. 12. §. simili. 9. ff. mandati.* Quin & retentione acquisitarum rerum, procurator sibi consulere potest: nisi ei dominus satisfacere sit paratus. *l. quæ omnia. 25. in fin. cum l. seq. ff. hoc tit. l. si in area. 22. in fin. ff. de condict. indebiti. l. in hoc iudicium. 14. §. 1. ff. comm. divid.* Et si dominus solvendo non sit: licitè petit actoris procurator, ut ex re iudicatâ sibi satisfiat. *l. actoris. 30. ff. hoc tit. & ibid.*

Wesenbec. num. 8.




Gloria sit soli, Jovæ Triumv, tibi.

AB: 154464

(X2618616)

R

V317



de
jactur
catari
rs
n wor
ratis
lanter

N



4

Disputatio
DE PROCURATORIBUS.

QUAM,
DEO ter Opt. ter Max. benè jurvante:

AUTHORITATE ET CONSENSU
NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,
in florentissimâ Academiâ Tubin-
genfi:

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS
HARPPRECHTI, IC.

ET ANTECESSORIS IN EA-
DEM ACADEMIÂ ORDINARIÏ: PATRIS
in perpetuâ pietate, fide & obsequio co-
lendissimi:

*Publici exercitii gratiâ, discutiendam proponit, ad d. 26. April. in
Auditorio Jurisconsultorum, horis consuetis:*

CHRISTOPHORVS HARPP-
PRECHTUS, TUBINGENSIS.



TUBINGÆ,
Typis Joh. Alexandri Cellii,
ANNO M. DC. XLV.

